



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Joannis Pierii Valeriani Bellunensis Hieroglyphica, Sive De  
Sacris Ægyptiorum Aliarumque Gentium Literis,  
Commentariorum Libri LVIII**

**Valeriano, Pierio**

**[Lipsiae] ; Francofurti Ad Moenum, 1678**

Vitæ progressus.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-14259**

A Erathostenes rationes quadraginta tantum, qui passus essent quinquies millia. Aliqui stadia xxii. singulis schœnis attribuere. Atque ita mensurarum hujusmodi inconstantiam diversitas authorum fecit, sive loca, sive tempora rationem hanc omnem variarint, quemadmodum in ponderibus tanta scriptorum dissensione omnia conturbata.

HÆREDITARIA PORTIO, SORSVE. CAP. LIX.

Invitat vero me nominis similitudo, ut quid Schœni vocabulo velint Divinae literæ, aperiamus. Apud Hebræos enim mensuræ genus erat sub funiculi nomine nuncupata, per quem portionem eam indicabant, quæ in agrorum divisione huic & illi obvenisset, transibatque vocabulum ad hæreditates & patrimonium. Unde Moseos cantico, Deuter. *Funiculus hæreditatis sue Israel.* & Psalm. 77. *Et forte divisti eis terram in funiculo distributionis.* Et 47. Ezechielis: *Joseph duplicem funiculum habet,* & passim multa hujusmodi. Aegyptiis porro mos, ait Prodicus, ut apud Max. Tyrium est, terram metiri funibus: quod & Hieronymus agnoscit tertio Joëlis cap. ubi Septuaginta ait transfuisse, *μαρὸν τῶν χοίνων* quod alii, *correntem spinarum* fecerant, funiculum ait *χοῖνον*, aut juxta Aegyptios mensuram certi itineris. Unde in Psalmis: *Semitam meam & funiculum meum investigasti.* In Nilo enim, *metaphora.* subjicit, *flumine sive in rivis ejus solent naves funibus trahere, certa habentes spatia, quæ appellantur Funiculos, ut labori defessorum recentia trahentium colla succedant.*

VITÆ PROGRESSUS. CAP. LX.

Quia vero vericulum obiter ex tricesimo nono supra centesimum Psalmo citavimus, *τὴν τριῆκοντα* Septuaginta *μαρὸν τῶν χοίνων* *μετὰ τὸ ἐξιχνίασας* *semitam meam & funiculum meum investigasti,* transfulerunt quidam, *Examinasti,* à vestigio tamen est *ἐξιχνίασας*: quamvis qui Hebræicam sequuntur lectionem, grabatum ex junco factum, non funiculum, intelligere videantur, dum *τὴν χοῖνον μετὰ ἐξιχνίασας,* *accubitum meum eventilasti,* reddunt. Quinetiam Chaldææ Arabicæque lectionis traductio in hanc ipsam sententiam habet. Sed & quando ambulare in via, aut quando accubero ad studendum, legi Sed quoniã Græca lectio jam recepta est, quam, ut plerisque locis apud Hieronymum video, eam esse arbitror quã Septuaginta transfudere, eam secuti, quid in ea hieroglyphici contineretur, exposuimus. Quam vero schœni funiculive mensuram apud Aegyptios & Persas esse Euthymius tradit, eandem ait, nostri propemodum stadii longitudinem æquare.

STATHMUS. CAP. LXI.

Stathmus, quod itineris diurni spatium est, produci fertur stadiis centum & quinquaginta, quæ milliaria essent undeviginti, quadrante minus. Nam & Jurisconsultorum tabulæ viginti milliaria diurnis itineribus concesserunt. Jocoſe vero Lucianus *ἄπειρὸς ἢ ὀλίγω* ludit, *ἕκκοντα χίλιοι ἢ ὀλίγω* cap. 13 *ἀσπίδου δὲ τῆς αὐτοῦ πρὸς τὴν σελήνην, ὁ πρῶτος ἦν τῶν σθῆδων*: Numquid tria millia stadiorum sunt à terra gnas spatium ad Lunam usque, qui primus nobis stathmus, id est, quod itineris spatium uno die peregimus? sed ut fabulas omittamus, fatius fuerit, tot decursis spatiis commodum quiescere: quamvis adhuc digiti quoquo verum accepti quasdam habent dimensiones, quarum norma modoque reliquum totius humani corporis dimetitur, mensura in hoc vel illo membro nunc parte pari, nunc geminata, in pluribus triplici: quippe pollex expeditus, ut supra innuimus, ejusdem mensuræ est cum infamis dimidio aure, cum naso, cum fronte & ore, cum infima brachii latitudine, & partibus plerisque aliis. Verum cum hæc ad pingendi sculpendique artem potius, quam ad suscepti operis negotium pertineant, eam artificibus operam relinquentes, imaginum significata, non artem pingendi, exponere prosequemur.

